



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque**

**Pallavicino, Sforza**

**Romæ, 1649**

Cap. 13. De præcipuo Iure, hoc est de Dominio. An dominium humanum possit cum iisdem prædicatis versari circa alias res, quam corporales.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39069**

C A P V T XIII.

*De præcipuo Iure, hoc est de Dominio. An dominium humanum possit cum iisdem prædicatis versari circa alias res, quam corporales.*

107 **I**Nter iura, præcipuū est dominium. Definitur autem illud à Bartolo, *ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur*. Et quia solus Deus habet ius perfectè disponendi de quacumque re (creaturæ enim nunquam habent ius disponendi perfectè de aliqua re, cum non possint de illa disponere Deo invito) ideo solus Deus est perfectè Dominus; homines dum dicuntur

H                      Domi.

Domini, intelligendi sunt habere dominium imperfectum & Deo subordinatum, quod quò magis imitatur dominium diuinum, eo magis propriè perfectè est dominium. Ille verò dicitur perfectè dominus ratione dominij humani, qui est Dominus quantum solet esse hominibus cōcessum. Ideo perfectiùs est Dominus ille, qui habet dominium absolutum, quam Fideicommissarius, e. g. quia Dominus absolutus potest uti re in plures vsus, quam Fideicommissarius.

108 Dū verò ad dominium requirunt aliqui; quod possit quis disponere de re *in propria utilitatem*, sensus est, quod possit disponere ad proprium libitum; alioquin Deus non esset

Domini.

Dominus, ut potè incapax recipiendi utilitatem; In eo sensu ergò intelligenda est *utilitas*, quantum spectat ad hanc definitionē; in quo sensu intellexit *lucrum* Arist. 5. Eth. cap. 4. ex percussione, occisione, & similia, quæ nullam afferunt utilitatem agenti; ubi ait & *quamquam* haec nomina quibusdam accomodata non esse videntur, ut ei qui percussit, *lucrum*, & ei, qui passus est, *damnum*: cum mensurata tamen fuerit passio, hoc *damnum*, illud *lucrum* vocatur.

109 Porro proposita definitio malè reprehēditur à quibusdam auctoribus, quod restricta sit ad ius disponendi de re corporali, cum tamen etiam rerum spiritualium dari possit

H 2 per.

perfectum dominium, & de factō detur in Deo: Nam re vera in ea non definitur dominium vniuersim, sed dominium aliud rationis, quale competit hominibus: tale autem dominium benè restringitur ad res corporales; cum ius simile iuri per quod homo dominatur in rebus corporalibus, dari non possit circa incorporeas.

110 Ratio verò est, quia dominium humanum est ius contrectandi, vel destruendi per positiuam aliquam actionem id, cuius aliquis est Dominus, & reddendi alijs illicitam contrectationem, & destructionem talis rei, quæ destructio iniusta supponit semper aliquam iniustam contrectationem. At verò dominium non est ius quomodo.

modocunq. operandi circa re,  
& alijs impediendi quomodo-  
cunq. circa eandem rem ope-  
rari: neq. enim aliquis est Do-  
minus Palatij, quia possit frui  
aspectu illius, sed quia potest  
illud contrectare vt voluerit,  
alijs verò omnem contrecta-  
tionem impedire, cum tamen  
impedire non possit aspectum  
transeuntibus. Sed hoc ius con-  
trectandi, & reddendi alijs il-  
licitam contrectationem, non  
potest versari nisi circa res cor-  
porales; ergò hoc genus domi-  
nij est restrictum ad res corpo-  
rales. Quod verò hoc ius con-  
trectandi, solis corporibus con-  
ueniat, constat inductione.  
Primò enim versari non potest  
circa accidentia, quandoqui-  
dem nullum accidens est mo-

H 3           bile,

bile, & tractabile per se, sed per motum, & tractationem subiecti. Secundo nec res spirituales mobiles sunt, ac tractabiles. Nam quātum pertinet ad destructionem, sunt iudestruibiles ab agente creato; & quamuis possint destrui à Deo, tamē hęc destructio non fit per posterioriam actionem, sed per subtractionē cōkursus, quæ nō est actus dominij, vt non est actus Dominij, negare panem mendico indigenti. Quantum verò spectat ad alias alterationes, cū substantiæ spirituales non sint capaces recipiendi ab alijs agentibus vllum accidens distinctum à motu locali (nisi ad summum speciem intelligibilem, cuius productio non prohibetur à dominio in humanis) nō potest

potest in eas exerceri dominiū.  
tales operationes impediendo.  
Sed neque motus localis potest  
fieri ab vlllo agente circa An-  
gelos, licet aliqui contrarium  
doceant: ergo neq. illum im-  
pediēdo potest exerceri do-  
minium. Quod verò non pos-  
sit circa Angelos exerceri mo-  
tus localis, probatur, quia ea-  
tenus corpora sunt apta mo-  
ueri extrinsecè per impulsū,  
quatenus vnum corpus exigit  
ingredi illud spatium, quod oc-  
cupatur ab alio corpore, nec  
potest propter impenetrabili-  
tatem hoc obtinere nisi per il-  
lius corporis expulsionem. Sed,  
cum Angeli sint penetrabiles,  
possunt obtinere locū alterius,  
illum alterum non expellen-  
do; ergo non debent posse illū

H 4 alte-

alterum de loco suo mouere.  
 Et licet legatur in scripturis An-  
 gelos bonos mouere malos de  
 facto, dicendum tamen quod  
 id præstant non per virtutem  
 naturalem, sed supernaturalem.  
 Mouerunt enim malos naturam  
 præstantiores se, quod certum  
 naturaliter non potuissent. Ex  
 his concluditur dominium, quod  
 Deus habet in Angelos, & in  
 ritualia, esse diuersæ rationis  
 ab humano quod à Bartolo  
 definitur.

III Dominium humanum  
 dat ius impediendi omnes illas  
 actiones circa rem nostram,  
 quibus directè intendatur vel  
 tanquam finis, vel tanquam  
 medium destructio illius rei.  
 ideò mater, quæ procurat ab-  
 ortum tanquam mediū ad vi-  
 tatio-

tationem sui dedecoris, agit iniuste in filium. Contra vero non agit iniuste, dum ad tuendam vitam sumit pharmacum, ex quo prauidet, secuturum abortum; quia non intendit ut medium abortum, sed euacuationem, vel alterationem humorum, quae perinde esset utilis licet non esset coniuncta cum abortu. Ex quo sequitur, quod ex sola diuersitate intentionis fieri possit, ut actio aliter licita euadat iniusta.

112 Ratio vero a priori est, quia quamuis illae actiones per se spectatae, hic & nunc non sint prohibitae a iustitia, tamen sunt prohibitae, si fiant ex fine nocendi. Cum enim ut vidimus in lib. de actibus humanis obiectum immediatum quod

H S pro-

prohibet iustitia & quæcunque  
virtus sit actio vt libera, ac pro  
inde vt imperata ab actu volu-  
tatis, nil mirum, si istæ actio-  
nes, quæ non prohibentur, si  
fiant per vnum actum liberum  
prohibeantur, si fiant per alium  
actum liberum intendentem  
directè malum proximi.

113 Quod si illa sumptio  
pharmaci (& idem valet de  
alijs) fieret ex duplici fine adæ-  
quato, hoc est sanitatis, & ab-  
ortus, putamus quod non ob-  
ligaret ad restitutionem quia  
obligatio restituendi est obliga-  
tio iterum statuendi resum in eo  
statu, quem habebat in eo in-  
stanti, in quo accepit iniuriam,  
præscindendo ab ipsa integrâ  
iniuria; sed in casu nostro præ-  
scindendo etiã ab integrâ iniu-  
ria,

ria, adhuc erat totum damnū  
proximi, quod fuit de facto;  
iniuria enim nulla est in eo ca-  
su, nisi includēdo intentionem  
prauam, qua præcisā adhuc  
læsus idem omnino passus es-  
set dependenter ab alia

intentione, quæ tum  
fuit, finis liciti;  
ergò  
non est locus  
restitutio-  
ni.

